

FOCAE GRAMMATICI VRBIS ROMAE VITA VERGILII.

P = Parisinus lat. 8093 saec. IX v. praef. p. XIII.

PRAEFATIO.

O vetustatis memoranda custos,
regios actus simul et fugaces
temporum cursus docilis referre,
aurea Clio,

tu nihil magnum sinis interire,
nil mori clarum pateris, reservans
posteris prisci monumenta saecli
condita libris.

sola fucatis variare dictis
paginas nescis, set aperta quicquid
veritas prodit, recinis per aevum
simplice lingua.

tu senescentes titulos avorum
flore durantis reparas iuventae
militat virtus tibi; te notante
crimina pallent.

tu fori turbas strepitusque litis
effugis dulci moderata cantu,
nec retardiri pateris loquellas
compede metri.

5

10

15

20